

36 p 11 Proponit generaliter de omni parallelepipedo æquiangulo, quod poterat similiter de quovis parallelogrammo æquiangulo 16 & 17 p 6, unde hæc derivantur, proponere. Hic tamen nihil proponitur analogum 16 p 6.

37 p 11 Respondet 22 p 6, & magnum fuit indicium e duabus specialibus unam generalem fieri posse, cum demonstratio per sortem graduum quatuor duabus una conveniat. Neque verò parallelepipedis tantum solidis convenit, sed omnibus primis figuris & earum æquemultiplicibus. Itaque ex hac propositione & illa unum generale confectarium in geometria fecimus.

38 p 11 Non est in Campano, neque in geometria esse debuit. Est enim conversa quædam 4 d 11, & Ptolemæi adversus Euclidem logica hæc nostra est: Conversio tamen non recte facta est: antecedens enim & conversa sunt. Si recta in altero intersectorum planorum perpendicularis communi sectioni est perpendicularis subjecto plano, plana ipsa sunt perpendicularia: & si interfecta plana sunt perpendicularia recta in altero perpendicularis communi sectioni est perpendicularis reliquo, sic (inquã) esset legitima conversio. At Euclides convertit præposterè. Si plana sint perpendicularia, recta in altero perpendicularis reliquo, cadet in communem sectionem, & probat per impossibile duorum rectorum in triangulo.

39 p 11 Potest esse omnis prismatis, ut 25 & 28, dummodo diagonus generaliter in omni figura intelligatur, id nempe quo bisecatur figura: talis enim est in omni figura bisectio: & sic ad 28 p 11 monuimus. Atq; hoc quidquid est, demonstrabile omnino non fuit, nisi fortè & demonstrabile videatur ejusdem figuræ parallelogrammæ diametros inter se bisecari: nihil enim aliud ista propositio loquitur: adhibetur autem ad 17 p 13.

40 p 11 Præponi debuit 33 p 11, quia de æqualitate præcipit. Nec tamen satis accuratè proponit: Debuit enim addere prismata pentahedra, his enim solis id potest convenire. Quomodo autem loquitur, falsa est, ut si sumas prismata parallelepipeda hexahedra ejusdem & basis & altitudinis, erunt æqualia per 32 p 11. At si alternis dimidium cum altero integro compares, erunt æque alta, alteriusque basis triangula, alterius parallelogramma dupla triangulæ, neque tamen erunt æqualia. Quare falsa hæc est propositio nisi specialiter intelligatur, ut in hoc libro & definitiones & propositiones antea tam multæ, quæ generi tribuunt, quod est speciale, aut contra speciei quod est generale. Adhuc igitur stereometria fuit unius & viginti propositionum, e quibus tamen tres 22. 35. 38 fuerunt de planis, non de solidis. Itaque octodecim tantum erunt de solidis, de angulo solido quatuor 20. 21. 23. 26. quatuordecim reliquæ de prismatico parallelepipedo, quarum tamen duodecim 25. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 36. 37. 39. sunt communes omnium prismatum, ut prisma definitum est ab Euclide: 24 definit parallelepipedam speciem nempe prismatis, cui tamen specialiter nihil esset attribuendum. Contra 40 tribuit generi prismatum, quod de unica specie tantum possit esse verum. Sed in toto libro undecimo multo magis est illud admirandum e propositionibus quadraginta nullam omnino propositionem esse, quæ demonstrationem meruerit, sed omnes unica vel definitione, vel propositione (unde sequeren-